Chirurgorum provincialium timiditas experentiae que defectus periculosa haud rarò aequè sunt, ac nimia eorum audacia, ut his observationibus mox patebit.

Ô felices eos quibus a naturâ aliquid ingenii est insitum, qui que Litteris exculti, praestantissimorum horumce hominum regiâ in Chirurgicâ Academiâ numeratorum ex operibus doctrinam hauserunt!

Ô felices nimium, nimium que felices, qui summis his viris usi sunt Magistris, atque praesentes Mirandis eorum Curationibus adfuerunt in urbis regni Capitis nosocomiis, ubi dum miseros e Mediis è Mortis faucibus extrahunt, gloriam immortalem Consequuntur!

observatio prima.

Jam Jam Moriturus vivit, natos que Creavit.

franciscus Jouannier, Cognomine La Douceur, arte Ligni Sector, annos Circiter triginta natus, Sanguineo-Biliosâ Corporis Constitutione, Mense Septembri exeunte, anno 1776. perinaei acerrimis pressus est doloribus; nulla tamen inflammatione Sensili; nullo Manifesto tumore: nonnullis papulis hemorroidalibus tantum à biduo pungebatur: accedebat febris Levior, urinae ac dejectionis difficultas, intestini Morbus, quo Laborans, Consueta opera non intermiserat.

Ego Cum Matutinis horis fuissem ascitus, aegrotum de externis Morbi Causis, Lapsionibus, inflictis ictibus, Compressionibus &c, Sum, at frustrà, percontatus. tum verò Symptomatibus Magis ac Magis ingravescentibus, eum interno quodam vitio Laborare existimavi. habitâ igitur ratione Laborum immodicorum, Coeli inclementiae, potionum, vigiliarum &c quibus illud hominum genus obnoxium est, primùm incisâ Brachiali venâ Sanguinem aegroto (novem inter horas, ter iterando) Copiosè detraxi; Deinde Mitigatoriis clisteribus praescriptis, Cataplasmata anodyna Malè affectae parti imposui, injunctis insuper et adhibitis austerâ Diaetâ, Copiosissimâ et nitratâ potione.

Tempore post-Meridiano, haud quaquam remissis Symptomatibus, quinimo Cùm febri Longè graviori jactaretur aegrotus, admovi hirudines, atque Mitigatoriis fomentis abdomen fovi: clysteribus interea iisdem, iisdem Cataplasmatibus anodynis.

vesperé, eò quòd Semibalneo febris ardens, tensio abdominis acerba, Maxima urinae Difficultas, vultûs et oculorum inflammatio, Delirium obstarent, pedis venam incidi, Refrigeratorium que praescripsi Julapium.

quae auxilia quam Celerrimè Licet tulissem, nox tamen adeò fuit turbulenta ut ad sacramenta Confugerint. ego autem Cum primo Mane aegrotum adirem, a foribus gravissimum naribus percepi odorem, qui exterrebat viatores, quòd pro peste haberent. insaniens Balbutiebat aegrotus: tenui et intermisso arteriarum pulsu; extinctis oculis; Linguâ aridâ nigrâque; vultu Livente; omnia aderant instantis praenuntia mortis Symptomata.

Ea adeò erant gravia ac Deplorata ut moribundus fato videretur permittendus. attamen Morbi Sedem exquirere habui in animo. nec fuit Cur gravitate aut Celeritate Symptomatum obstuperem, Cùm perspexi omne perinaeum atque ex parte podicem tabe exesa, urinam, excrementa, Magnam que intolerabili foeditate Saniei Copiam, quae per os quoddam apertum ad Mediam Circiter partem tabe vitiatam, emissa fuerant. tunc autem, Morbum Cum habuissem pro vero anthrace qui primum Cellulari in Contextu versatus, Deindè Rectum intestinum, vesicam, prostaticam glandulam, Seminales vesiculas Celeriter invaserat; qui que, pro eo Brevissimo tempore a quo incaluerat, a naturâ poterat Coerceri in homine vegeto et Lacertoso, Consueta alexipharmaca imposui, intusque Corroborantia Dedi Medicamina, Dum aegrotus in nosocomium (quo eum transferri Curavi) transferretur.

quò ut primum exceptus fuit, viros clarissimos Chanevas, Joveau, Lespine Collegas meos Rogavi, ut mihi Consiliis esse vellent auxilio in re adeo gravi et implicatâ.

quibus viris probatâ prudentiâ, probatâque Sagacitate operationem Cùm proposuissem, ii obstupuere, veriti ne aegrotus meas inter Manus animam efflaret. in meam tamen iverunt Sententiam quae nitebatur non aetate Modò aegroti et ejus Robore quod mihi pridem notum fuerat; Sed fautatibus etiam naturae

quibus fidere non nunquam haud ab[illegible] est.

Operatio igitur quae statuta fuerat, ita se habuit.

primum fistulare specillum per os perinaei intromittens; satis altè perforo rectum intestinum; specillum deduco per podicem, omniaque intra ansam incido: Deinde hanc incisionem indice digito ad imum scrotum produco; ex oris vulneris aufero (quantum possum profluvii sanguinis sine periculo) quidquid mihi videtur putrefactum, eo que modo omnem ferè sphacelum, qui adhuc grassabatur, distraho. Denique mihi curandum est ita latè altè que patens vulnus ut inseram ad magnitudinem humani capitis linamentum glomis factis, primò tinctum in vino igne vaporato et stillato, camphorâ et sale ammoniaco immixtis, tinctum deindè in acerrimo etiam decocto. Linamento praetereà appono emplastrum de styrace, et tinctâ in liquore suprà dicto penicilla, quae in imum ventrem et inguina apto fulta ligamine explicantur.

per hanc operationem aegrotus altas voces minimè edidit: non nulla tantum verba protulit, suis se iratus dicere, neque multò vehementius motus est.

primò pauxillum vini generosi ut sorberet curavi, atque praescripsi eum deindè uti peruvianâ cortice, quam simili in casu esse efficacissimam illustrissimus nec non nobis semper observatissimus Dominus Morand invenit et in lucem protulit.

Teterrimi odoris foeditas quae totum valetudinarii occum cito infestaverat, mitigata est aromatibus.

hujus diei postero die mane aegrotum inveni gravissimè adhuc laborantem, atque ita affectum, tenui arteriae pulsu, ut instaret torpedo. admotum vulneri nihilominus detexi fomentum ut illud quâ natabat è putredine extraherem. Copiosè enim et abundanter urina, excrementa, sanies effluxerant per vulnus quod eo die nobis visum est duntaxat antrum quoddam per quam maximè et altum et fetidum. vulneri autem eamdem curationem quae suprà demonstrata est et eodem modo admovi. quod que diu sum persecutus, adhibitâ etiam peruvianâ cortice quae tam mirandos habuit exitus, ut post quatuor aut quinque dies horrendum hocce vulnus inceperit detergi, magis ac magis pulchrè resilire; palam et apertè ostendere omnes affectas partes, nimirum vesicam posterius et inferius multiforem, multis exiguis foraminibus (instar vasis irrigui foraminum) aptè ordinatis in spatio nigro, quod patebat in latitudinem nummi duodecim assium; prostaticam glandulam, seminales vesiculas gangrenâ vitiatas ex parte cellulari externâ; vitiatum etiam gangrenâ rectum intestinum: quae omnes partes

Saltem folia exuerunt.

quanquam autem urina et excrementa per vulnus uno ferè Mense effluxerint, nolente neque sentiente aegroto, qui toto eo tempore remansit stupidus; attamen tribus elapsis mensibus, planissimè et sine fistulâ, sanitati restitutus ad solitam artem se retulit, atque procreavit liberos.

Consideratio

haec in eo quod supra demonstratum est, mihi videntur imprimis miranda: primum hujusce morbi in progressu celeritas; deinde gravitas summa que intensitas symptomatum; tum restitutio perfecta functionum ~~quæ~~ quaecunque fuisset valetudinis afflictatio, quod evidenter probat eximias inesse facultates naturae quae una restituit sanitatem, eam que nobis solum uti ministris morborum in curatione; denique ferro et peruvianâ cortice hostem potissimum fuisse expugnatum.

Urbis flexiae ea fuit fortunae conditio, ut ab ejus constitutione in eâ florerent periti ac solertes chirurgi; qui doctrinâ non minùs quàm charitate laudandi, cùm ferè omnes callerent medicas operationes, calvariae terebrâ perforationem, bronchotomiam, empyema, cancrum, bubonocelen, gastroraphiam, podicis fistulam, partus &c, mirum in modum adjuvabant hominum genus, ~~ut~~ observationumque libellos ad chirurgicam parisiensem academiam haud semel miserunt.

Ex iis qui ad nostram aetatem vixere, quique cùm me alumnum amanter fovissent, suorum in numero benignè ~~habeant~~ habuerent, clarissimos viros D.D. Thibaut, Mery, guerin, Boudou, Morand &c Lutetiae parisiorum audierant. quantumcunque ~~autem~~ doctrinam ex horumce praestantissimorum hominum institutis et operationibus hausissent chirurgi flexienses, omnes tamen sese (deplorandum patriae infortunium) hippocratico sacramento obstrinxerant, neque eorum vel unus lithotomiam aggredi ausus fuerat. ad hanc operationem accersebatur è viciniâ paganus quidam chirurgus non peritior quidem, at audentior, qui cùm rem haud feliciter ~~agent~~ gereret, cives diu multisque excruciati doloribus necabantur.

Plurimos, flexia, etiamnum luges diuque lugebis clericos et coenobitas mirabili studio concitatos, doctrinâ et integritate conspicuos magistratus, cives optimos, pernecessarios artifices! nullus quippè quod adesset teterrimi hostis debellator.

Tot ac tantis ego permotus malis, assiduam lithotomiae operam dedi: cui quò melius accingerer, primo revocavi in memoriam operationes quibus olim adfueram magni nominis chirurgorum D.D. Boudou, foubert, hevin, faget, Moreau &c, deinde trivi manibus opera clarissimorum virorum Collot, Tholet, Dionis, La faye, Le Dran, Le Cat, Cheselden, &c quorum institutis ac praeceptis cùm mihi viderer eruditus, habui in animo instituere lithotomiam.

quot verò difficultates mihi tunc exsorbendae! quanta perrumpenda impedimenta! a multitudine non magna quidem, verùm ab iis quos me consilio ut juvarent accersebam, quàm maxima.

Observatio Secunda

audaces minervas juvat.

Joannes Roblot, natus ex inope familiâ, sed ejus phisicae educationi attentâ, prope modum ab ortu Doloribus, cum mingeret conflictatus est. quod vagitu et distortionibus intermingendum, mox indicatum est ejus Matri quae eum Lactabat. verum illa nullam petebat opem, quod Lactentem puerum existimaret insanabilem.

Cum autem puer acerbissimo in cruciatu Biennium egisset animadvertit sedula Mater eum manibus veretrum ferè continuò extrahere, jactum urinae saepe intermissum nonnunquamque Bifidum, puerum intereà adeò vehementer ejulare et distorqueri ut nigresceret ex dimidiâ parte puer, pro eâ aetate vix creverat ejusque Mortem prorsus expectabat pia Mater, quae non nullas tamen sed aniles adhibuit Medicinas.

Doloribus acerrimis Licet excruciatus, quintum vitae annum puer attigerat, Removente naturâ partem impedimentorum quae corporis nutricatioui et incremento Morbus offerebat. tunc autem Major fit urinae Difficultas; caeterae putrefiunt Dejectiones, crebrescunt Dolores et ingravescunt; taenias puer emittit, pelle ossibus adhaerente, intabescit atque etiam saepius animo Linquitur.

Demum eo tempore me accersunt Dolentes et summâ pressi inopiâ parentes. quibus auditis, simul que animadversis pueri ejulantis Distortionibus, calculum esse in vesicâ protinus existimavi; nec fuit, introducto cathetere, ambigendi Locus. quid verò agerem? Macies enim aegroti, Debilitas, extenuatio, Malè se habentes primae viae, humorum Moles omninò vitiosa, nihil nisi triste funestum que prae se ferre videbantur.

attamen non aliâ causâ quàm calculo vesicâ incluso animalem Dispositionem perturbari Ratus, curationem periclitandam Duxi; sed imprius necesse habere corruptos primarum viarum succos Depellere, atque humores Mitigare variis Medicamentis quae statim fuere adhibita.

Cùm igitur in spem curationis venissem, operam Dedi ut in flexiense nosocomium aegrotus admitteretur, Meos que

Convocavi Collegas, qui praedifficili in eâ Re, Doctrinâ et Concilio me Juvarent. quantae verò Mihi fuerunt oppositiones! omnibus et Singulis Conclamantibus Lithotomiam in flexiensi nosocomio nunquam fuisse Celebratam, iterum que Dicto hippocratico Sacramento, factioni adjunctae fuerunt nosocomii Moniales, atque aegrotum è Lectulo ejici statuerunt.

Tunc ego gravissime ferens everti Consilium inquo et aegroti Salutis, et mihi nominis spem Collocabam, ad nosocomii administratores Confugi. apud quos Cum de Re Dixissem, ii Judices et charitate, et Communis utilitatis spectatissimi, Causam Mihi adjudicarunt, his etiam additis, felices esse Cives quibus adsit chirurgus, qui Dat operam Lithotomiae, Deinceps Divites posse ex oppido non Cedere, pauperes Mortem praevertere, omnes suis adesse Rebus.

itaque Meis omnibus adversariis tum Comiter et Benevolè adstantibus, aegroto satis parato Lithotomiam Laterali apparatu institui.

Brevis faustaque fuit operatio, extraxi enim uno adstantium plausu, figurâ Morum Referentem Calculum, qui gravior pondere, quam Mole crassior visus est. Cùm autem is successus spem Majorem Sanationis Mihi injecisset primò Diligens Ratio victus, analeptica Diaeta, Dilmentia, et antiseptica pharmaca fuerunt adhibita. Deinde Lenibus interdum Repetitis minoribus Catharticis, parata est Sanatio, atque Duobus elapsis mensibus exiit è nosocomio puer Corpulentus, sine fistulâ, omnia ad naturae Munera validus, nulloque affectus valetudinis incommodo.

post ea plures alios aetate provectiores quidem, et Meliori Corporis habitu, nos, nec invito aesculapio, secavimus.

Observatio Tertia

Julianus petitan genere olitor quadragesimum quartum agens annum, Sanguineo-pituitosâ Constitutione; ab infantiâ, gravissimis Renum Doloribus, urinaeque angustiis Laboravit. quae Mala cùm crescente aetate ingravescerent, eò Devenit aegrotus, ut Laboris impotens, non nunquam Recumberet Circa vigesimum praesertim annum. verumtamen urgente inopiâ, in Colendum hortum operam, interdum Contulit, unde Sibi Subsidii aliquid veniret. Tandem Lecto affixus, acerrimoque Doloris Morsu exagitatus, immanes Ciebat Clamores. ô Rem prorsùs admirandam! in tantâ Desperatione tam Diris Cruciatibus Distortus, nullum Miser implorabat auxilium.

in ejus Cognitionem me fortuna quaedam adduxit. Cùm apud vicinorum quemdam Muneris Mei vices implerem, acutis iteratisque clamoribus perculsus, adstantes curiosè interrogo, ac Luctuosum Sanè Juliani Infortunium audiens, veluti quodam naturae Motu, advolo. Miseri Casam ingressus, hunc Lecto abjectum, excruciatum ac propè exanimem video, et tanti Mali causas attentò ac Sedulò explorans, adhaerere vesicae Calculum Judico, atque postridiè, introducto cathetere, nulla fuit Dubitandi Ratio. tunc aegrotum in flexiense nosocomium Deportandum Curavi, ibique, postquàm analepticâ Diaetâ usus est, Calculum per sectionem eximere agressus sum.

etenim opportuno tempore, Magistros in arte chirurgicâ Convoco, atque astantibus illis ac Monentibus, ad periculosam omninò operationem me accingo. incisis à Latere partim uretri Bulbo, partim prostaticâ glandulâ in imam vesicam forcipem Dimitto, occurritque Statim Calculus Mole Modicus; quem Dum extrahere tento, aliquid experior impedimenti, aegrotusque in horrendum clamorem erumpit Subitò: indicem Digitum protinus infero, exploraturus ubinam adhaereret Calculus, quo a vesicâ Divulso, haud Difficile forcipis operâ Malum extraho. inhaerebant Duo alii praeterea calculi. priorem Mole Majorem facile evello, posteriorem Multo etiam Majori Mole et angulatorem,

non sine iteratis Laboribus extraho. intereà aegrotus placidus animo, in tantis Rerum angustiis, incredibilem prorsùs Constantiam exhibebat; ex illoque tempore non semel interrogatus, arma, inquit, chirurgica, catenas, aequâ Mente animadverti; animum vero penè effregit tertius Calculus, qui non sine acerbissimo Doloris sensu evulsus Corpus totum Miris cruciatibus Distorsit.

Metuenda Mihi incumbebat tum sanguinis effusio, tum inflammatio, omne vero ejus generis Malum abfuit. post tertiam a sectione Diem per solitum iter Meavit urina, nullumque febris vestigium Deprehenderam. omnia usque ad vigesimam Diem, ex voto cesserant, cum aegrotum incessit putrida febris, nec non vermiculosa omni spe propemodum Decideram, Erexit vero animum prior Laboris exitus, febrisque intra decem Dies, adhibitis vomitoriis, antisepticisque Medicamentis evanuit. implicitum postea anasarchâ, Diureticis, catharticis & extricavi. nunc sanitati planè Restitutus, ad omnia naturae Munera, promptus est et expeditus. —

n.° 186.